

ac patrociniū viduarum, et pupillorum, quod in primis Episcopis commi-
sum, et commendatum est. Nam Matiscenenses Patres non rogant, sed lata
lege, qua omnes obstringi volunt, constituunt, ut sæculares iudices viduas,
et pupillos sine Episcopi venia non conveniant, et Episcopo absente, ab Ar-
chidiacono, vel Presbytero terminos præfiniri volunt ad illorum causas desi-
niendas, pœnamque addunt anathematis adversus iudices, qui huic Concilii
legi non obtemperaverint. Sunt hæc veri iudicii, et jurisdictionis propria,
non meri patrociniū, ac tuitionis.

(3) L. 8 et 9 cod. de Episcop. audient.

(4) Extravag. I. de Episcop. judic. in appendic. cod. Theodosian. t. 6
p. 559 ed. Lipsiæ 1745; de qua quidem Constantini lege satis supra dictum est
l. 5 tit. 1 §. 22 not. 4 p. 18. Atque hæc quidem facultas ab utroque jure lai-
cis concessa deferendi suas causas temporales ad Episcopi iudicium, in exitu
sæculi XIII., seu potius initio XIV. sarta tecta servabatur. Scribit enim Me-
yerus annal. Flandriæ l. 10, à Synodo provinciali, quam habuit an. 1301.
Remensis Archiepiscopus apud Compendium, anathematis pœnam indictam
fuisse adversus laicos Magistratus, qui non patiebantur, ut laici in foro ec-
clesiastico convenirentur; atque in revera colligitur ex ipsius concilii actis
apud Labbæum in collect. concilior. t. 14 col. 1544.

(N. S. Plures sunt causæ civiles, ex quibus Clerici in turriæ sæcularis
potestatem rediguntur. Ac primo pro rebus iudicio sæculari adfectis, Foro
laico 1 causæ Feudales reservatæ sunt: idque tum jure communi, cap. 6 et 7
de Foro competenti, et cap. unic. §. « Verum » de statu Regularium in VI;
tum quoque jure Hispano, Leg. 57 tit. 6 Partit. I. Quinimmo eis Judicem Ec-
clesiasticum adire interdicitur sub pœna amissionis Feudi, vel Gratia: leg. 4
tit. 10 lib. 1. et leg. 5 tit. 4 lib. 5 Novis. Compilat.

2. Usu etiam, moribusque receptum est, ut bona quævis temporalia Cle-
ricorum defunctorum jacentia, ut ajunt, scilicet, ubi de legitimo successo-
re nondum constiterit, Regiæ potestati sint penitus obnoxia.

3. Adhæc quæstiones quælibet controversas hæreditates spectantes, etiam
si competitores sint Clerici, sæculari tamen foro discutiendæ, ac definiendæ
relinquuntur.

4. Uti quoque pro exsolvendis Clerici defuncti, vel legatis, vel ære alieno
laici Judicis sententiæ parendum est. Qua de re in expediendis Decretis vul-
go dictis Præambulorum, et spectare spectavisse, à Judice laico clausula
adponi solet: Salvo jure cujuslibet in iudicio, tam universali quam parti-
culari. Hoc juri etiam civili conforme est; Leg. unic. Cod. ubi de Hæred.
agatur, et Leg. 96 Dig. de Legat. et Fideicom.

5. Quum laicus adversum laicum agat ad vindicandam rem, quam Cle-
ricus vendiderit, tunc evictionis nomine tenetur hic coram Judice sæculari
comparere: Leg. 57 tit. 6 Partit. I.

6. Tandem Clericus laici hæres institutus, in Tribunali Regio sistere de-
bet, ad aperiendum, et publicandum testamentum: Leg. 6 tit. 18 lib. 10
Novis. Compilat.

Num Clericus ratione Tutelæ, Curæ, alteriusve sæcularis maneris, in Ec-
clesiastico, an vero in laico foro conveniendus sit, diu concertatum inter
Doctores, et adhuc sub iudice lis est. Porro verisimilior eorum opinio vide-
tur, qui contendunt ejusmodi Clericum pro rationibus subducendis foro lai-
co subjectum: ad solutionem postea, si ibi debitor adparnerit, à Judice Ec-
clesiastico compellendum. — Videsis Doctores nostros. Salgado de Regia
Protectione part. 4 cap. 14, Vela Dissert. 43 et 44; Escobar de Ratiocin.
cap. 7 à n. 9. Immo vetantur Clerici ullam nisi legitimam tutelam suscipere;

eam. 26 Dist. 86; id quod etiam jure Hispano cautum est: Leg. 45 tit. 6
Partit. I, et Leg. 14 tit. 16 Partit. VI.

Eodem nomine Clerici, qui res vel alienari prohibitas emerint, vel regiis
tributis obnoxias, vulgo *controbanni*, adportaverint, in reali dumtaxat ac-
tione Foro laico subjecti sunt. Id quod et jus Decretalium videtur permitte-
re: cap. 1 de Alienat. Judicii etc.—Apostolicæ Sedis Nuntius in Hispan.
Regnis, Henricus Henriquez, id quoque ratum habendum duxit in suis litte-
ris die 6 Maji an. 1749.—* V. legg. 18 et 19 tit. 1 lib. 2 Novis. Compilat.*—
Idem quoque juris obtinet quantum ad refectionem damnorum, quæ Clerico-
rum pecora, aliave noxia animalia cuicui intulerint: ita expresse cautum est
in Leg. 7 tit. 9 lib. 1 Novis. Compilat.

Alter titulus, quo Clerici Potestati parent sæculari, est ratio cœpti judi-
cii. Quamobrem si quis adhuc in sæculo manens, litem in foro inchoarit, ea-
que non peracta, Ordinibus initietur, eam in eodem foro, reali dumtaxat ac-
tione, ad exitum usque cogitur persequi; quod cum utroque jure amice con-
jurat: Leg. 7 Dig. de Judiciis, Leg. 9 Dig. de Jurisd. omn. judic. et cap. 19
de Foro compet. Lis quoque cum defuncto laico incœpta, cujus hæres Cle-
ricus sit, in sæculari foro prosequenda, neque hæredis clericatus illam ad Ec-
clesiasticum tribunal devolvat: DD. apud Gagliardum *ibid.* §. 10; expresse
autem Alphonsus Sapiens *præf.* Leg. 57.

Tertius vero titulus est ratio reconventionis: quum scilicet Clericus ac-
toris personam agens, aliquem quomodolibet ad laicale forum trahit, ipse in
eodem foro reconveniri recte poterit: uti si Clericus à laico per sæculares
Judicem, quod illi mutuo dedit, expetat, etiam laicus suum æs, si illi cre-
diderit, in eodem foro jure reposcet: cap. 1, et 2 de Mutuis petition.; et
Leg. 57 *ibid.* Excipiendæ tamen causæ omnes criminales, spirituales, æque
omnes; in quibus Clericus nomine Ecclesiæ in laicum iudicium intenderit, in
quo ipsum pro suis rationibus reconvenire nemo quiverit. Eodem reconven-
tionis intuitu Clericum auctorem in iudicio succumbentem, ad illata reo dama-
na reficienda judex laicus jure damnabit.

Sequitur quartus titulus, scilicet jus *Congruum*, ut ajunt, sive *Retractus*;
hoc est ubi Clericus prædium emat in fraudem vicinorum, qui in ea emptione
jus habent *Retractus*.—Apud Hispanos jus *Retractus*, est jus concessum
consanguineis intra quartum gradum consistentibus, repetendi prædium, ab
ejus ascendente cuicui extraneo venditum, infra novem à venditione dies,
servata tamen inter eos gradus prærogativa, ut semper proximior præferat-
ur; quod jus in bonis solummodo, quæ vulgo de *Patrimonio, et Abolen-
go* nominantur, locum habere potest. Sane de hac re nihil nostris Legibus
constitutum invenimus; videtur tamen de hoc Clericum conveniri et con-
venire debere apud Judicem sæcularem: argum. Leg. 57 tit. 6 Partit. I.

Ultimus denique titulus est, Jus Principum arcendi violentiis à civium
possessionibus.—Hic sane titulus Supremæ Regum potestati adhærens, sci-
licet amovendi violentias, et oppressiones à civium personis, et possessio-
nibus, qui et ab ipsa videtur naturali lege procedere, in debito illo, quod
Imperatores Christianos ad Ecclesiam tuendam constringit, fundatur: « Prin-
cipes enim sæculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina
tenent, ut per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant....
et sæpe per Regnum terrenum cœleste Regnum proficit, ut qui intra Ec-
clesiam positi contra Fidem, et disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Prin-
cipum conterantur: Isidorus can. 20 Caus. 23 Q. 5. » Injuriam quidem, si quæ
à Judice Ecclesiastico subditis irrogentur, à nullo nisi à Patre patriæ repelli,
aut reparari possunt.

Hanc Regum protectionem necessariam duxerunt Hispaniarum Patres, quippe qui nedum non improbarunt, sed et ratam voluerunt consistere consuetudinem, quod Clericus vel prægravatus, vel inauditus à proprio, vel ab alterius provinciae Metropolitano, ad Regios auditus negotia sua perlaturus accederet: Syn. Tolet. XIII. can. 12. Quocirca non immerito Alphonus Sapiens dixit, Regem constitutum esse ad repellendas subditorum oppressiones: leg. 5 tit. 1 lib. 2 *Ordinam. Reg.*; ac Philippus II leg. 4 tit. 2 lib. 2 *Novis. Compilat.* ejusmodi Protectionis jus antiqua consuetudine, et Carolus V leg. 2 *ibid.* immemorabili consuetudine confirmatum esse.

Tres sunt casus, in quibus cives violentiam pati possunt à Judice Ecclesiastico: scilicet, *in cognoscendo, et procedendo; in modo cognoscendi, et procedendi; et in denegando adpellationem:* qui quidem recensentur leg. 17 *ibid.* Quamobrem à Jure Ecclesiastico oppressum, ad Tribunal Auditorum Provinciae, in qua passus est injuriam, accedere debet: leg. 4 *ib.*, per quod Processus originales à Jure Ecclesiastico exiguntur, quibus inspectis, violentia removetur, si adfuerit; si vero eam non interfuisse deprehendatur, ad eundem Ecclesiasticum judicem Processus devolvuntur, damnato in expensis petitorum: leg. 2 *ibid.*

2. Recursus Visitationis utriusque sexus Regularium, in Regio Castellae Senatu discutuntur: leg. 9 *ibid.*

3. Recursus, qui in jure Protectorio, et in executione Concilii Tridentini fundantur, et recursus quoque à violentiis Judicum Conservatorum, in eodem Supr. Castellae Senatu cognoscuntur; leg. 10 tit. 2 lib. 2, et 9 tit. 6 lib. 1 *Novis. Compilat.*

4. In causis de Episcoporum spoliis, violentiae recursus in Prima Gubernii Aula Supr. Castellae Senat. dirimuntur: not. 5. cit. tit. 2.

5. Causarum Regii Patronatus recursus, primo in Regio Camerae Tribunali expendi debent per viam Retentionis, et per Provisiones, quae vocantur *per contemptum Regiae dignitatis*; in quo si locum non adesse Retentioni declaratur, in Supr. Castellae Senatu, omnibus convenientibus Consiliariis, recursus violentiae discutitur: leg. 14 cit. tit. 2.

6. Postremo animadvertere oportet, locum non esse violentiae recursui, nisi in Decretis, quae vim definitivorum habent, non in mere interlocutoriis: leg. 5 ejusd. tit. 2. Neque in causis Supr. Inquisitionis Tribunalis: ex leg. 5 et 5 tit. 7 laud. lib. 2. Neque in causis Tribunalis S. Cruciatæ: leg. 2 tit. 11 leg. 5 tit. 7 lib. 2 *Novis. Compilat.*

Quantum ad leg. 7 tit. 9 lib. 1. *Novis. Compilat.*, animadvertere occurrit, ibi tantum exprimi, clericos ad solutionem pro damnis, de quibus agit, ut laicos, obligari: non tamen ad id per saeculares judices urgendos: todos, asi clérigos como legos, paguen prorata lo que les cupiere: y mandamos que las prendas se cobren asi de los unos como de los otros: hoc, non amplius, continet talis dispositio.

Quoad juris remedium, apud nos *Recurso de fuerza* appellatum, de quo isthic sermonem habent Selvaggi Adnotat., V. Cl. Paris. Archiepiscopi D. Affre opus *De l' Appel comme d' abus*, ubi erudite sapienterque ea de re agitur; *Diction. quoque Jur. Canon.* à Presb. André, edit. Matrit. saepe laud. art. *Recurso de fuerza*, in quo ejusdem institutionis incommoda summam exponuntur. Pluribus quidem gravibusque abusibus obnoxiam esse, nemo nescit. Apud nos ob speciales quasdam causas et extraordinarias circumstantias admissam fuisse, ac deinde in commune abuisse jus, demonstrare haud difficile. Patrias nos sanctiones, quae id stabilunt, reveremur: ac si forte cum juris Eccl. publici doctrinis, sub aliquo saltem respectu, conciliare

non obtinemus, manere tamen sinamus donec utriusque Potestatis consensu in proposito novitas inducatur.

V. tit. 2 lib. 2 *Novis. Compilat.* legg. et not.; et observa, recursus protect. Trid. Concil., ad Senatum vulgo *Consejo Real* deferendos, et de Reg. Patronatu lites, ipso consulto, coram supremo Justit. tribunali agendas et definiendas esse: Reg. Prov. citat. art. 90; leg. 6 Jul. 1845. Quod *spoliorum* causas spectat, de his respect. Collector generalis, ac dioceseon sub-collectores cognoscebant ante novis. Concordatum, cujus art. 12 ad tom. 1 pag. 195 consignavimus.*

12. Sed non est satis considerare, quæ sit natura causæ, de qua quæritur, et qui status personæ, quæ in jus vocatur, ut constet, num à laico, an potius ab ecclesiastico iudice negotium agendum sit. Non enim omnis ecclesiasticus, aut laicus iudex assumi sine delectu potest, sed illud præterea requiritur, ut proprius iudex sit, qui videlicet in reum habeat jurisdictionem. Nam reus invitus in iudicium rapitur, et ideo necesse est eum vocare ad iudicem, cui jus est ejus vocandi, et cogendi.

13. Reus autem, sive in ecclesiasticis, sive in civilibus iudiciis, ex quatuor præsertim causis apud certum iudicem forum habet, nimirum ex domicilio, ex contractu, ex re sita, ex delicto (1). Domicilium, si cum naturali origine conjunctum non sit, tale esse debet, ut manifesto constet, illud certo in loco fuisse constitutum. Nam sola habitatio non est satis, ut domicilii jura acquirantur; sed præterea requiritur, quod quis in certo loco per decennium commoratus sedem posuerit (2), aut ibi fixerit, et locaverit, nunquam inde discedendi animo, lares et summam fortunarum (3). Præter hoc cujusque proprium domicilium, Jus Romanum aliud etiam agnoscit commune omnibus, idque ipsa Roma erat (4). Quare unusquisque ibi repertus conveniri poterat, nisi jus revocandi domum haberet (5). Simili modo clerici Romæ reperti, nisi ad eam venerint ex justa, et necessaria causa, propter quam revocandi domum jus habeant, iudicio vocati respondere coguntur, quoniam communis omnium clericorum patria Roma est (6).

(1) Cap. ult. de For. competen.; — leg. 22 tit. 2 *Partitæ* III.*

(2) L. 2 cod. de incolis lib. 10.

(3) L. 7 cod. eod. Quod si quis plura in diversis dioceseibus habeat domicilia, apud unum ex his quemlibet ordinarium recte in jus vocabitur l. 29 ff. ad municip. cap. 15 de for. competen. At sola domus possessio, quæ in aliena civitate comparatur, domicilium non facit, ut tradit Papinianus in l. 17 §. 15 ff. ad municipal.

(4) L. 53 ff. ad municipal.

- (5) L. 2 §. 2 ff. de judic.
- (6) Cap. ult. de For. competen.

14. Altera causa, propter quam aliquis certum habet forum, et iudicem, est contractus. Nam ubi quis contraxit, ibi actione in personam reus præsens convenitur (1). Si formula contractus locum non expressit, quo solvenda pecunia est, is locus intelligitur, in quo res gesta est (2); si expressit, in eo loco, qui designatus est, iudicium agere oportet (3). Quod si is, qui certo loco solvere promissit, ad locum non accedat, quod vel data opera facit, vel quod alibi necessario detinetur, composita est in eam rem utilis actio «de eo, quod certo» loco (4); qua actione actor, cui quid certo loco promissum est, nec tamen datum, alio etiam loco iudicium exerceat (5); modo idoneus, et legitimus locus sit, is videlicet, in quo non alio designato loco, reus, aut contractus, aut domicilii causa, conveniri debuisset (6).

- (1) L. 19 §. 1, l. 20 et 45 ff. de Judic., cap. 1 §. 3 de For. competen. in 6.
- (2) Cit. l. 19 §. 1, et l. 45 ff. de Judic.
- (3) L. 5 ff. de Bon. auctor. jud. possid., l. 19 §. ult., et l. 20 ff. de judic. l. 20 ff. de act. et oblig.
- (4) L. 1 ff. de Eo quod cert. loc.
- (5) Confer titulum Pandectarum de eo quod certo loc.
- (6) In hanc sententiam scripta est l. 19 ff. de Judic., atque in hanc eandem sententiam actionem de eo, quod certo loco, Jus Canonicum recepit cap. 17 de For. competen.

15. Delicti causa, ubi quis deliquit, ibi iudicio in personam convenitur. Nam ubi crimen est patratum, ibi facilius est probationum copia, et majus expensarum compendium; præterea curandum est, ut reus prosit exemplo pænæ, ubi obfuit exemplo delicti (1). Quod si reus à loco delicti absit, etiam ubi reperitur, ea de re quæri potest (2); nisi magistratus loci patrati criminis reum ad se mitti petat, ut in loco delicti meritis plectatur pænis (3). Verum in hoc toto negotio servare oportet locorum consuetudines, et pacta conventa inter supremos Principes; quandoquidem scitum est, neminem extra suum territorium jurisdictionem exercere, sive in suos, sive in alienos, posse (4).

- (1) L. 7 et 22 ff. de Accusat., l. 1, cod. ubi de crimin. ager. oport., l. 1 cod. ubi senator., cap. 14 de for. competen. Vide etiam S. Cyprianum ep. 59 p. 266 ed. Amstelædami 1700.
- (2) L. 1 cod. ubi de crimin.

- (3) L. 7 et 11 ff. de custod. et exhibit. reor., novell. 134 c. 2, Cap. 1 de Raptor., can. 4 et 5 caus. 6 q. 3. In eandem sententiam est can. 4 caus. 5 q. 6, quem canonem Gratianus eduxit ex epistola S. Fabiani Pontificis, hoc est, ex falsis decretalibus Isidori Mercatoris.
- (4) Cap. 2 de Constit. in 6.

16. Locus quoque in quo res, de qua quæritur, sita est, proprium iudicem facit. Nam ibi in rem actio adversus possidentem instituitur, quasi actio rem ipsam persequi videatur (1). Neque refert, immobilis ne, an mobilis res controversa sit; quin etiam si possessor absit, actio intenditur (2). Num autem necessarium omnino sit actione in rem cum reo agere in loco, in quo sita res est, an etiam actori liceat exercere iudicium in loco domicilii, vetus disputatio est. Sed hoc posterius fori usus recepisse videtur (3). Jure Canonico etiam propter beneficium, veluti propter rem sitam, competens forum evadit (4); ideoque in causis beneficiariis recte clerici ad Episcopum beneficii vocantur.

- (1) L. 5 cod. ubi in rem actio, cap. 3 de for. competen.
- (2) L. 2 cod. ubi in rem actio.
- (3) Consule Hotomanum l. 3 observ. 5, Duarenum ad tit. de judic. cod. de for. compet., Donellum de jur. civil. l. 17 c. 17 opp. t. 4 p. 1275 ed. Lucæ, Vinnium select. jur. q. 1. 4 c. 18.
- (4) Cap. 3 de tempor. ordinat. in 6.

17. Sunt etiam alii modi, quibus forum competens, et proprium efficitur; quales præcipui sunt privilegium, continentia causæ et consensus litigantium. Porro jure Romano pupillis, viduis, et ceteris miserabilibus personis fori electio concessa est (1). Similiter jure Decretalium monachi, regulares (2), ecclesiæ multæ, et multa item capitula canonicorum, Sedis Apostolicæ privilegiis, vel omnino, vel ex parte ab Episcoporum jurisdictione subtracta sunt. Itaque horum causæ, aut à Sede Apostolica, aut ab eo iudice, cui sunt addictæ, cognoscuntur. Nec prætereunda peculiariora quorundam privilegia, qualia sunt illa concessa certis corporibus, atque collegiis, pluribusque gymnasiis, et academiis, quibus qui addicti sunt, hi proprium habent iudicem, ad quem tantum vocantur (3).

- (1) L. unic. cod. Quand. Imperator.
- (2) Consule Fagnanum in cap. cum dilectus 8 de relig. domib. n. 17, et in cap. Tuarum n. 18 de privileg., ubi etiam describitur celebris Sixti IV. Constitutio, quam «Mare magnum» appellant. Ceterum de Regularium exemptione late disserui l. 2 tit. 10 §. 3 et in not., p. 254 et seq. Sed præter auc-

tores eo loco indicatos, vide etiam Gagliardum instit. canonic. l. 3 tit. 12 §. 19 et seq.; ubi harum exemptionum multa habes antiqua monumenta, quæ à Natali Alexandro, Ughellio, Mabillonio, Muratorio, aliisque viris doctis collecta sunt. Novissime de Regularium exemptione graviter, solideque disseruit Emmanuel Iturriaga, auctor epistolæ, editæ Assisi an. 1785, «Su l'esenzione de' Regolari dalla giurisdizione de' Vescovi, e su le cause matrimoniali.»

(N. S. Hispani Cathedralium Ecclesiarum Canonici, Monachorum exemplis exstimulati, simul ac regularem, quæ S. Augustini dicta est, disciplinam receperunt, sæculo nimirum undecimo, ad exemptionum adsequenda privilegia properarunt. At longe diversa est Monachorum, ac Canonicorum exemptio: illa quippe plena est, et nihil pæne relictum, in quo Episcoporum jurisdictioni Monachi subsint, etiam post Tridentinum; hæc vero criminales, ut plurimum, tantummodo causas respicit; ita ut in hujusmodi causis Episcopus in Canonicos procedere nequeat, nisi adjunctis sibi duobus è Capitulo, ab ipso in unoquoque anno adsignandis: *Trid. Sess. 25 de Ref. cap. 6.* Hæc primigeniæ Conciliorum doctrinæ conformis est. Episcopus enim nonnisi collecto Presbyterorum cœtû, Clericorum delicta examinare, et sententiam in eos ferre solebat. Ita decrevit Syn. Hispal. II can. 6 his verbis: «Juxta priscorum Patrum Synodalem sententiam, nullus nostrum, sine Concilii examine, deiciendum quemlibet Presbyterum, vel Diaconum audeat.» Porro antiquorum Patrum sententiæ exstant in Syn. Carthag. I can. 11, et Carthag. II. can. 40. Consonat Syn. Tolet. XI can. 7, Brac. III can. 7, et Tolet. XIII can. 2. Immo expedire admodum ita fieri, censuit eadem Syn. Hispal. II ibid. «Episcopus enim, ait, Sacerdotibus, et Ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest.»)

(3) Late, ac diligenter de hoc privilegio, quo Academiae fruuntur, disputat Scipio Gentilis de jurisdiet. l. 5 c. 17 opp. t. 3 p. 276 ed. Neapol. 1764.

48. Etiam continentia causæ facit, ut judex, qui competens non esset, competens evadat; nimirum si quæstio princeps in cursu judicii incidentem quæstionem habeat, cujus illi cognitio directo commissæ non erat. Tunc enim idem judex utramque controversiam noscit, ne res iter se nexæ, et jugatæ dividantur (1). Hinc Decretales foro ecclesiastico addicunt causas de dote, deque alimentis præstandis, quæ matrimonialibus indicunt (2).

(1) L. 10 cod. de Judic.

(2) Cap. 3 de donation. int. vir. et uxor.

49. Denique litigantium consensu jurisdictionis profertur, sive, ut dici solet, prorogatur, et tunc alius judex, quam cujus notio est, litigantium voluntate proprius, et competens evadit (1). Licet enim jure Romano litigantibus in alienum judicem consentire, dummodo ipse jurisdictionem habeat (2); nam quæ in privatis viris nulla est, jurisdictionis prorogari non potest (3). Clerici cum Episcopi consensu in alienum judicem ecclesiasticum recte

consentiunt (4), in laicum vero consentire nulla ratione possunt (5).

(1) L. 1 cod. de jurisdiet. Verum si prius quam adiretur alienus judex, mutata voluntas fuerit, procul dubio nemo compellitur huic conventioni stare, inquit Aphricanus l. 18 ff. de jurisd.

(2) L. 1 et 2 ff. de judic.

(3) L. 3 cod. de jurisdiet.

(4) Cap. 18 de for. competen.

(5) Cap. 12 eod. Hanc Innocentii III. constitutionem minus vere, minusque recte, uti supra animadverti § 9 not. 3, reprehendit Cujacius, quem præter Cironium, aliosque ibi laudatos, solide etiam, graviterque refellit Carolus Gagliardus instit. canonic. l. 3 tit. 10 § 5 et seq.

(N. S. Idem quoque de temporalibus laicorum causis intelligi oportet; quamvis enim ad ecclesiastici Judicis manum deductæ sint, nihil exinde ejus jurisdictioni accedit; imo eo ipso actor sua cadet actione, et processus, tamquam in irritum factus, revocabitur: leg. 7 tit. 4 lib. 4 *Novis. Compilat.*)

TITULUS V.

DE LIBELLI OBLATIONE, DEQUE IN JUS VOCANDO.

1. LIBELLUS QUID?—2. ACCUSATORIUS, VEL CONVENTIONALIS.—3. QUOMODO JUS ACTORIS LIBELLO EXPRIMENDUM?—4. QUID LIBELLO COMPREHENDENDUM?—5. QUIBUS MODIS PLUS PETATUR?—6. PÆNÆ ADVERSUS PLUS PETENTES CONSTITUTÆ.—7. EMENDATIO, ET MUTATIO LIBELLI.—8. QUID IN JUS VOCATIO, ET QUENAMMODUM FACIENDA?—9. CITATIO.—10. JUDICIUM A CITATIONE INCHOANDUM.—11. EA VEL REALIS, VEL VERBALIS EST.—12. CITATIO VERBALIS, VEL SIMPLEX, VEL PEREMPTORIA.—13. QUOMODO CITATIO REO SIGNIFICANDA?—14. CITATIO IN ALIENO TERRITORIO, EJUSQUE IN ACTIS RELATIO.—15 AD 19. QUÆ IN CITATIONE OBSERVANDA?—20. EFFECTUS CITATIONIS.

1.

POSTEAQUAM consideravit actor, quis proprius et competens judex sit, in judicio (a) *postulationem deponit* (1). hoc est, apud acta deponit libellum, quo actio continetur (2). Actio est jus persequendi in judicio, quod sibi debetur (3); brevis scriptura, qua hæc actio, et actoris petitio clare, et distincte proponitur, *libellus* appellatur (4). Reo post libelli oblationem, dantur viginti dierum induciæ, ut deliberet, cedat ne, an resistat, pareat ne judici, an eum recuset (5).

(a) * Huc referri potest Barcinon. Selvag. Edit. adnotatio, quæ sic se habet: «In inferioribus curiis ecclesiasticis, non secus ac civilibus, cum *ordinaria* judicia agitantur, ex Reg. ord. 10 Apr. an. 1856, *appellationes in duplici effectu* admitti debent; servando in ceteris juris civilis præscriptum,